



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Caput III. De Lege Evangelica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

œpi debent, ita ut intelligatur: *circa idem tempus.* Dein si unquam, circa itinera Apostolica summa est Chronologiæ obscuritas, quam illustrandam Historicis relinquimus. Apostolum antequam epistolam ad *Galatas* daret, nonnisi duabus vicibus Hierosolymam ascendisse, docet ipse S. PAULUS in eadem epistola. Cumque ex illa sufficiens habeatur ratio negandi, *Cepham* à PAULO reprehensum fuisse S. *Petrum*; non est, cur cætera operose, & sine fructu scrutemur. Istud tamen præterire nefas sit, nempe *Jacobum* ab *Herode* occisum non fuisse illum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopum, sed fratrem *Joannis*, qui ex Hispania redux una cum *Petro* in Orientis partes jam progresso, Judæam junctis laboribus excolendam susceperat, ideoque ab *Herode Agrippa* gladio interemptus.

CAPUT III.

De Lege Evangelica.

Antiquatâ Lege Mosaicâ *Novam* sanxit Christus, 139. quæ idcirco *Lex Nova* dicitur, vel quia tempore posteriore hominibus data est; vel quia per gratiæ uberioris collationem hominis interiora renovat, immo novum veluti hominem efficit. Vocatur etiam *Fœdus*, aut *Testamentum Novum*, prioribus abrogatis substitutum. *Evangelium* dicitur: nam *Evangelium*, ut ait S. AUGUSTINUS, est bonum nuncium: bona autem hominibus nunciantur, quando promittitur eis beatitudo cœlestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita. Quæ idcirco

408 DE LEGE EVANGELICA.

Lex Nova tantum Veteri præstat, quantum vir perfectæ ætatis parvulo, aut quantum fœcunda arbor plantulæ in semine delitescenti. Re ipsa Lex Nova est lex à Christo data, & ab Apostolis promulgata. Notio hæc semper displicuit *Luthero*, *Calvino*, *Beza*, & aliis, qui temere ac impiè contendunt Christum Novam Legem nullam præter Fidei præceptum condidisse, sed à Veteri duntaxat nos liberasse. *O prodigiosum errorem* (inquit *Calvinus* in *Comment ep. ad Gal.*) *prædicantium Christum tamquam novum Legislatorem! quasi veterem Judaorum legem abrogaverit, ut novam Christianis hominibus legem imponeret.* *HOBBS* in suo *Leviathane* vult, Testamentum Novum in iis duntaxat locis esse legem, in quibus summa Potestas civilis eam esse legem voluit, in cæteris non nisi per modum consilii sese habere, à quibus proinde quisque sine scelere recedere possit. Cæterà in Nova etiam Lege præcepta distingui solent dupliciã, sc. *moralia*, quæ ad mores ritè formandos pertinent; & *ceremonialia*, quæ circa ritus, v. g. in Sacramentorum administratione versantur.

QUAESTIO I.

Utrum Evangelium sit Lex divina à Christo Legislatore pro omnibus lata?

140. **C**hristus in Evangelio præter Fidei præceptum dedit alias leges tam morales, quàm ceremoniales, quibus omnes homines obligantur. Nam de Christo jam olim vaticinatus est *ISAIAS* c. 2. v. 3. *De Sion exhibit Lex, & verbum Domini de Fe-*
rusa-

DE LEGE EVANGELICA. 409

rusalem, Lex utique non judaica, hæc enim in monte *Sina* jam data fuerat; igitur Christiana. Et c. 23. v. 22. *Dominus enim Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster: ipse salvabit nos.* Igitur Christus est Legislator. Dedit autem præcepta 1^o. *moralia*, ad quæ pertinent illa *Fidei, Spei, Charitatis, & Decalogi.* Sic *Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Cum Fide autem simul Spes præcepta est, quia Fides est sperandarum substantia rerum. *Joann. 15. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Ibid. *Si præcepta mea servaveritis.* Et *Matth. 28. Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* 2^o. *Ceremonialia*, ad quæ spectant *Sacrificium & Sacramenta.* Veluti *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem.* Et *Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Profectò plurima in Evangelio sunt, quæ indubios Legis characteres habent: emanarunt enim à Christo supremam legum ferendarum potestatem habente: disertis verbis alia præcepit Christus, alia prohibuit, atque ita præcepit, vel prohibuit, ut majorem Dei gloriam, & spirituale ac æternum Fidelium bonum respiceret. Has verò Leges quia Christus voluit, ut Apostoli omni creaturæ prædicarent, idcirco pro omnibus hominibus conditas esse, extra dubium est. Denique veritatem hanc definitione suâ firmavit Synodus TRIDENTINA *Sess. 6. can. 21. Si quis dixerit Christum JESUM à Deo hominibus*

410 DE LEGE EVANGELICA.

datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant, anathema sit. Et Can. 19. Siquis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter Fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit. Proinde de Fide est 1^o. Christum non modò fuisse Redemptorem, sed etiam verè & propriè Legislatorem. 2^o. In Evangelio præter Fidei præceptum contineri alias leges verè præceptivas, aut prohibitivas. Huc etiam pertinet Canon 20. Sess. cit. Siquis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi verò Evangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Lex Nova est lex gratiæ, lex libertatis, lex Fidei: Ubi ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem Fidei. Ad Rom. 3. v. 27. Non estis sub lege, sed sub gratia. Ad Rom. 6. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. 2. ad Cor. 3. Resp. Ad 1^{am}. Evangelium est lex Fidei, quia in se habet Spiritum & gratiam, cujus radix est Fides, utpote fundamentum justificationis & salutis nostræ. Ex mente S. AUGUSTINI de Spir. & lit. c. 13. Lex factorum est ea, quæ jubet, quid faciendum sit: Lex Fidei est ipsa Fides impetrans gratiam facien-
di

DE LEGE EVANGELICA. 411

di, quod lex jubet. Lex igitur factorum est lex vetus, quæ continet & accumulatur præcepta; Lex Fidei est Lex Nova, quæ dat gratiæ auxilium, ut lex impleatur. Ad 2dum. Apostolus c. 6. cit. hortatur Fideles, ut permaneant in gratia, quam in Baptismo consecuti sunt: unde v. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; & v. 13. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato . . . Ac v. 14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia, h. e. Peccatum iis, qui sub gratia sunt, dominari nequit, nisi ipsi se peccato libere subjiciant; iis verò, qui sub lege sunt, & non sub gratia, peccatum dominatur Jure quasi hæreditario inde ab Adamo usque. Ad 3tium. Hic iterum Apostolus Legi Veteri opponit Legem Novam, quam comitatur Spiritus Domini, & quæ libertatem adfert filiorum Dei; ut proinde non timore, sicut olim, sed amore tamquam filios nos regi & agi oporteat. Nimirum Lex antiqua erat cogens, terrens, comminationibus suppliciorum & mortis ubique referta; Lex autem Nova est lex plena gratiarum & dulcedinis, juxta illud Christi *Matth. 11. v. 30. Fugum meum suave est, & onus meum leve*, comparatè videlicet ad legem veterem, quæ numero & multitudine præceptorum gravabat, nec conferebat gratiam, qua difficultas molliretur; cum contra Lex Nova & brevior sit, & gratiarum abundantiore subsidio temperet, quidquid nasci difficultatis potest.*

Obj. II. *Joann. 3. v. 17. & 18. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet*
mun-

412 DE LEGE EVANGELICA.

mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est. Et c. 8. v. 15. Christus de se ait: Ego non judico quemquam. Et iterum c. 12. v. 47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit; ego non judico eum: non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. Denique c. 18. v. 36. Regnum meum non est de hoc mundo. Igitur Christus non iudicis, nec Legislatoris, nec Regis, sed Redemptoris duntaxat partes implevit. *Resp. Ad 1mum.* Proponit ibi Christus amorem Dei erga homines, quo factum est, ut mitteret Filium suum, non ut mundum propter scelera sua condemnaret & perderet, sed ut illum redimeret. Quisquis itaque in eum credit, prout oportet (nam cætera opera præcepta minimè excluduntur) non judicatur, *h. e.* non perit, nec condemnatur. Qui autem non credit, jam judicatus est, quin reliqua ejus examini subjicienda sint, quia caret totius Justificationis & salutis radice, quæ est Fides in Deum, & quem misit, JESUM Christum. Unde v. 19. Hoc est autem iudicium (sive causa condemnationis) quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. *Ad 2dum.* Versus totus sic habet: Vos secundum carnem iudicatis: Ego non iudico quemquam, eo sc. modo, quo homines, *h. e.* secundum carnem, ad exteriora duntaxat respiciendo, sicut faciebant Pharisei, quos hic reprehendit Christus criminantes ipsum, quòd de se ipse testimonium perhiberet. *Ad 3tium.* Significabat Christus, in primo suo adventu se non iudicare, & damnare quemquam, eo quod non sit tempus iudicii,

DE LEGE EVANGELICA. 413

cii, sed misericordiæ: mox tamen addit: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicet eum: Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. v. 48.* Cætera Christus Joann. 5. de se testatur: *Pater omne Iudicium dedit Filio. Et Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Ad 4tum. Equidem regnum Christi non erat terrenum, & de hoc mundo; erat tamen in hoc mundo, quia Pater omnem ipsi potestatem dederat in cælo, & in terra: cùm enim Pilatus instaret dicens: *Ergo Rex es tu? respondit JESUS, tu dicis, quia Rex sum ego. v. 37.*

a) Lex Evangelica primum cœpit obligare in die Pentecostes, non quidem omnes statim, sed successivè, nam tunc facta est illius publica, & solemnis promulgatio, quæ omnino necessaria est ad publicam & universalem legem constituendam. Non tamen potuit continuò obligare omnes, quia non statim ad omnium notitiam pervenit. Sicut autem primum Judæis prædicata est, ita hos ante cæteros obligavit; deinde Gentiles: postquam & istis annunciata fuit. Quamvis itaque Sacramenta N. L. jam instituta essent, partim ante mortem Christi, veluti *Baptismus, Eucharistia, & Ordo*; partim post mortem & resurrectionem, uti *Pœnitentia, & Confirmatio*; ac licet etiam utilia essent, & gratiam conferendi vim haberent; necdum tamen extabat obligatio eadem Sacramenta suscipiendi.

b) Ex eo, quod Lex Nova pro omnibus, etiam infidelibus, lata fuerit; sequitur eosdem Principibus Catholicis subjectos ab his compelli posse, ne prædicationi Evangelii resistent, immo etiam ut audiant Evangelii prædicationem: hic enim actus externus externæ Principum Jurisdictioni subiacet. Hinc Judæi Romæ ad instructionem catecheti-
cam, & concionem compelluntur.

QUAE-

Q U A E S T I O II.

*Utrum Lex moralis in Evangelio contenta sit
perfecta vitæ regula?*

141. **E**x Orthodoxis nemo sit, qui de Legis Evangelicæ moralis præstantiâ dubitare audeat: est tamen hæc nostrorum temporum summa calamitas, ut nihil adeo divinum sit, quod hominum sceleratissimi, *Theistæ* ac *Libertini* non laceffant. Adversus hos igitur ostendere juvat, Institutionem moralem Evangelicam esse ejusmodi, ut non modò nullâ in re Legi naturæ dissentiens sit, sed ita numeris omnibus absoluta, ut hominum sapientiæ & industriæ nihil reliquerit perficiendum, ac proinde certò divina sit.

142. *Lex moralis in Evangelio contenta à Lege naturæ adeò non dissentit, ut perfectissima vitæ regula sit, & quavis aliâ morali institutione multò præstantior.* Cujusvis institutionis moralis hic princeps, ac ferè unicus finis est, ut homines vitii odio, & virtutis amore ac studio ad beatam vitam perducantur: istud autem à Lege morali Evangelica optimè præstari quis ignorare possit? exhibet illa perfectam complexionem omnium præceptorum ad Religionem & mores pertinentium, absque ullius erroris admixtione: proponit eadem præcepta modo perfectissimo aptissimoque ad docendos homines, fundatque in principiis perfectissimis: ad illorum observantiam homines motivis efficacissimis excitat: perfectissimam vitæ disciplinam præscribit, qua vitiorum fuga, & omnium virtutum exercitatio semper foveatur: ad virtutes heroicas impel-

DE LEGE EVANGELICA. 415

impellit, ut liquet attendenti ad Legem moralem Evangelii. Et quidem perfectissima sunt Evangelii præcepta, quæ ad Religionem pertinent, dum præcipit actus tum internos, tum externos præstantissimos, quibus Deus colendus sit, cujusmodi sunt actus fidei, spei, charitatis, adorationis, timoris, obedientiæ, gratitudinis. Quæ verò ad mores spectant, ad ipsius adeo divinæ perfectionis imitationem nos stimulant, & hortantur. His præceptis quicumque suos conformare mores vitamque studuerunt, ù Angelicam potiùs, quàm humanam ducere vitam visi sunt. Quàm præclara sint justitiæ & charitatis præcepta, quibus maximè humana societas continetur, legenti patet. Non minus præclarissima erga se ipsum officia in Evangelio commendantur. Sita hæc potissimum sunt in cultura animi, ut mens optimis imbuatur principiis, & voluntas ad optimum inclinetur. Quæ verò sententiæ sublimiores esse possunt, atque sunt illæ, quas suggerit Evangelium sive de Deo, ac tribus personis divinis, sive de ipsius hominis dignitate, sive de fine & cœlesti gloria, sive de virtutibus, ac cæteris mediis ad illam obtinendam? nulla est hominum conditio, nullus sexus, ætas nulla, quæ saluberrima inde nequeat haurire documenta. 2^o. Præcepta hæc Evangelica à Christo nobis tradita sunt *autoritate maxima*, quia à Deo Incarnato tradita; data sunt *claris & brevibus sententiis*, ita ut à rudibus etiam intelligi facile possint, ac memoriâ retineri. Denique *exemplis* sunt confirmata. Et num modus præcipiendi aliquis perfectior esse possit? 3^o. Eadem Christiana Lex peccatoribus omnibus, modò respiscant, & dignos faciant pœnitentiæ fructus, veniam

niam promittit: pollicetur divinæ gratiæ auxilia superandis quibusvis difficultatibus paria, futuram tum corporis, tum animæ felicitatem sempiternam. Et quæ motiva fortiùs excitent ad virtutem, bonorumque operum exercitationem? atque hæc motiva eo efficaciora censerì debent, quò firmiora sunt principia, in quibus fundantur: nituntur videlicet ipsis perfectionibus divinis, veluti summa Dei Sapiencia, Veracitate, Potentia, Fidelitate & Benignitate. 4^o. Denique Lex Christiana perfectissimam vitæ disciplinam præscribit: hæc enim non solum comparata est ad mores ritè formandos, vitamque honestè instituendam, sed ad renovandas quoque animas, & Deo adsimilandas, præparandasque ad supernaturalem in ipsa Dei communione felicitatem. Est plena perfectaue sui ipsius dedicatio Deo facta, quæ potissimum sita est in *Oratione perpetua*, in *perpetua pœnitentia* per mortificationem sensuum, in *holocausto perpetuo* per omnimodam sui ipsius abnegationem. Ad *Ceremonialia* Evangelii præcepta quod attinet: Sacramenta N. L. sunt numero paucissima, observatione facillima, virtute præstantissima. Verbo: nihil non est in præceptis Evangelicis, quò divinam sui originem per semet ipsum non ostendat.

Objectiones Theistarum.

Obj. I. Autor Legis Evangelicæ ex infami crucis patibulo suspensus fuit: & quomodo divina Legis hujusmodi origo esse possit? *Resp.* Autorem Novæ Legis esse Deum verum, & Hominem invictè demonstrant Prophetarum oracula, & prodigia

digia eum in finem ab hoc Autore patrata, ut Divinitatem suam demonstraret: aut si miracula omnia negat *Theista*, maximi certè miraculi loco sit hanc Legem mundo, carni & sanguini tantùm adversariam in toto terrarum orbe prædicatam receptamque fuisse, & à viris etiam sapientissimis potentissimisque agnitam. Solus amor fecit, ut Christus probrosum adeò supplicium mortis sponte ac liberè subiret. Si cæcus Judæorum furor ita sæviit, ut Christum crucifigeret; at Christi mortem ipsa luxerunt elementa, dum Sol obscuratus, terra mota, petra scissæ sunt. Plura hanc in rem dicta vide in *Tract. de Fide, & de Mystero Verbi Incarnati.*

Obj. II. Præcones istius legis dicuntur fuisse homines simplices, qui aut mutilasse multa, aut multa ex spiritu fanatico addidisse meritò censentur. Profectò si Lex ista divinam haberet originem, decuisset, ut per homines sapientissimos hominibus annunciaretur. *Resp.* Quà igitur ratione factum est, ut Evangelii Lex nihilominus omnes terræ provincias pervaderet? cur neque Philosophorum sapientia, neque potentia Principum, neque Judæorum furor, neque Gentilium impietas, neque Orci machinationes aut publicam hujus Legis promulgationem impedire, aut diffusionem illius latissimam cohibere, aut innumerorum hominum coercere animos valuerunt, quominus hanc Legem profiterentur, & sanguine suo consignarent? quæ ista criminandi libido, viros integritate vitæ, candore animi, virtute patrandi miracula, rebus humanis omnibus superiores fanatico spiritu actos fuisse? Fanatismus an cum principiis sive theore-

418 DE LEGE EVANGELICA.

ticis, sive practicis sanctissimis ad omnem virtutem incitantibus, & ab omni vitiorum umbra retrahentibus stare umquam potuit, aut possit? quo consilio, quo fructu & commodo iidem Viri Apostolici Evangelicas Leges mutilassent? Incredule, quod nec de infimæ conditionis homine citra injuriam suspicari vel eloqui audes; istud sacrilego ore eructas de Apostolis, quos cœli terræque per tot jam secula gloriosos prædicarunt: & quousque? Fuerint simplices (at non omnes) priusquam divino Spiritu replerentur; Isto autem simul atque repleti sunt, sapientiæ & scientiæ suæ luce totum terrarum orbem illustrarunt, quin vel Judaicæ Legis peritissimi, vel acutissimi Philosophorum invenire possent, quod jure redarguerent, immo ut victos sese captosque darent.

Inst. Saltem decuisset, ut siquidem Lex Evangelii divina esset, vel ab Angelis, ut olim Lex Mosaica; aut certe ab hominibus dignitate, & auctoritate conspicuis promulgaretur. *Resp.* Cùm Lex ipsa per sese divinæ originis notas haberet, non erat, cur aliunde splendorem accerseret. Angelorum ministerio Lex Vetus ad homines pervenit, Legem Novam Deus-Homo divino ore nos edocuit: usus subinde ministerio Apostolorum, ut homines per homines erudirentur; respuit primùm Philosophorum sapientiam, & facundiam Oratorum, ne quid humanæ sapientiæ & eloquentiæ tribui posset: infirma Mundi elegit, ut fortia confunderet; atque hæc omnia sunt, ex quibus divina Evangelii virtus mirificè elucet.

Obj. III. Moralia Evangelii præcepta durissima sunt in exigendis officiis divinis, hominemque ultra

DE LEGE EVANGELICA. 419

tra vires suas aggravant; officia proximo debita adeo non commendant, ut omnem potius humanam societatem subversum eant; homini ipsi abjectam vitam, tetricam, & intolerabilem vitæ rationem imperant. *Resp.* Ita tu blasphemias Incredule, sed age, breviter scrutemur singula. Ad *imum*. Lex Evangelica jubet Deum adorare in spiritu & veritate: *Deus spiritus est, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Joann. 4. v. 24. Timere Deum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam.* Matth. 10. Confidere de divina ope: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Matth. 7. Submittere sese divinæ voluntati: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. 6. Amare Deum super omnia: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum.* Matth. 22. Servare mandata: *Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Matth. 28. Prosequi divinam gloriam: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Matth. 5. Imitari divinas perfectiones: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5. v. 48. In his verò & similibus siquid arduum sit, humanasque vires excedere videatur, præsto est gratiæ divinæ auxilium, præsto sunt cujusvis ætatis, sexûs, & conditionis hominum exempla illustrissima. Præ-

420 DE LEGE EVANGELICA.

terea jacentes animos mirificè solantur & excitant præmia copiosissima & æterna, quæ Deus fidelibus servis suis daturum sese promisit. Ad 2dum. Quæ umquam Institutio moralis officia proximo debita tantâ perfectione expressit, ac Evangelica? nihil est, quod humanam societatem magis stabiliat, & promoveat feliciùs, atque charitas & justitia: utriusque autem virtutis hujus munia nonne in Evangelio copiosissimè explicantur? charitas patiens est: *Audistis, quia dictum est: oculus pro oculo, & dentem pro dente: Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; & ei qui vult tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Matth. 5. *Benigna est in omnes, etiam erga inimicos: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Ibid. v. 44. *Pacifica est: Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me: dimitte illi.* Luc. 17. *Liberalis est: Qui petit à te, da ei; & volenti mutuari à te, ne avertaris.* Matth. 5. *Clemens & misericors est: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ibid. v. 14. c. 6. *Solicita est pro salute proximi: opera autem misericordiæ tam spiritualia, quàm corporalia in Evangelio maximè commendantur, prohibentur autem scandala. Tandem modesta est charitas, non inflatur, non est*

DE LEGE EVANGELICA. 421

est ambitiosa, non cogitat malum: *Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? . . . Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Matth. 7. Justitiæ commendatio quæ poterat esse clarior perfectiorque, ac his verbis expressa: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ad 3tium. Lex Evangelica strenuos sui cultores tetricos & abjectos adeo non efficit, ut nemo unus inter mortales omnes sit, qui uberius deliciis & voluptatibus præ illis affluat. Hi pace animi & tranquillitate tam firmâ perfruuntur, ut nec corporis molestiæ, nec valetudinis dolores, nec hominum injuriæ, nec fortunæ adversantis casus illam perturbare queant. A Seculi tumultu & vanitate quò longiùs recedunt, eo propiores Deo fiunt, qui fons est veræ voluptatis. Incredule, quæ ista tua felicitas, quam cum belluis communem habes, quam ipsum mortis momentum cum luctu & dolore sempiterno commutabit? Sed ne longiùs abeam: age, vel unicum Evangelii præceptum cum naturæ lege pugnare ostende; ego verò adeo non dissentire adfirmo, ut ad summum perfectionis apicem Jus omne nat. per Legem Evangelicam evehctum nemo non intelligat. Quodsi basis & fundamentum totius legis naturalis est vel amor Deo, sibi & proximo debitus, vel amicitia cum Deo, secum ipso, & cum proximo colenda; non potest non Evangelica lex esse optima illius interpretatio.

Q U A E S T I O III.

*Utrum Lex Evangelica sit perfectior Lege
Mosaicâ?*

143. **A**udias quandoque homines, etiam Christianos, Oeconomiam Legis Veteris adeo imperitè jactitantes, ut eandem Legi novæ præferre videantur. *Theistæ & Increduli* quamvis utriusque Legis œconomiam blasphemò ore reprehendant; à Nova tamen Lege tantum abhorrent, ut sicui subscribendum foret, potiozem antiquæ rationem sese habituros esse, impiè effutiant.
144. *Lex Evangelica perfectior est Lege Mosaicâ, pluresque habet notas internas divinæ originis.* Et quidem Lex Evangelica perfectior est, sive Legem ipsam, sive effectum illius spectemus. Nam 1^o. magis explicat omnia vitæ & Religionis officia, & principia, in quibus fundantur. 2^o. Enituit in Veteri Lege singularis Dei in populum Israel, quem suum peculiariter elegerat, indulgentia: in Nova elucet ejus in omnes homines effusa & verè paterna charitas; atque inde nata sunt nova gratitudinis & amoris incentiva. 3^o. Lex de diligendo proximo non ita explicatè complectebatur omnes, etiam extraneos & inimicos, ac persecutores, ideoque Doctores Judæi ad solos Israëlitas illam, licet perperam, restringebant, & nunc quoque restringunt. Unde Christus ad Judæos: *Audistis, qua dictum est antiquis: diliges proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum* (non vi legis, sed ex prava Doctorum interpretatione) At Nova inimicorum etiam dilectionem disertè præcipit: in Christo enim

non est Gentilis & Judæus, circumciso & præputium, Barbarus & Scythæ, servus & liber: sed omnia in omnibus Christus. Ad Col 3. Quocirca Evangelium omnem quoque iracundiam & contumeliosum sermonem vetat: *Audistis, quia dictum est antiquis: non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5.* Eadem Lex Nova disertè magis prohibet omnem malam concupiscentiam: *Audistis, quoniam dictum est antiquis: non mæchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo.* Tandem Evangelium magis consulit naturali conjugum æqualitati per polygamia & divortii abolitionem.

4^o. Lex Christiana maximè excellit sanctissimis præceptis de refrænandis animi adfectibus, de rerum temporalium contemptu, de sui ipsius abnegatione: quæ omnia cum eadem perspicuitate exposita frustra quæres in Lege Mosaica. 5^o. In Lege Nova habemus absolutum in Christo omnium virtutum exemplar, quod imitemur; vitæ futuræ præmia ac pœnas clariùs expositas, potentiora spei motiva, ac denique pietatem omnem in clariore divinæ naturæ, humanæque conditionis notitia positam. De effectu Legis Evangelicæ quid commemorem? præstat illa per sese gratiam uberem, quâ homo adjutus implere præcepta, omnesque vincere difficultates possit: N. L. Sacramenta vim habent emundandi animas ab omnibus etiam gravioribus peccatis,

easque sanctificandi, quin & homini justificato
 quoddam Jus tribuunt ad superiores gratias actuales,
 ut in sanctificatione perstare facilius possit. Dic,
 age Judæ, vel Incredule! an Legi Veteri æque
 gloriari licuit de tanta Ss. Martyrum, Virginum,
 aliorumque Sanctitatis publico splendore illustriana
 Virorum & feminarum multitudine ac numero?
Quis hominum, inquit S. ATHANASIUS loquens
 de admiranda Evangelicæ prædicationis vi & effica-
 cia, *in mundo umquam fuit, qui alicui imitan-*
dam proposuit virtutem Virginitatis? nullus cer-
tè; omnes enim arbitrati sunt impossibile esse vir-
ginitatem corporis & animi tueri. Christus ve-
 rò cum exemplo, tum doctrinâ Evangelicâ efficit,
 ut homines etiam à prima pueritia non solum cu-
 stodiant, sed etiam profiteantur perpetuam vir-
 ginitatem, ac pro ea defendenda omnes tentatio-
 nes expugnent, constantissime quasvis ærumnas
 sustineant, ac etiam vitam pro Christo profun-
 dant. Et S. CHRYSOSTOMUS, quòd nunc, inquit,
 sub Christi lege facilior sit præstita virtus, atque
 ideo major etiam Philosophiæ intentio, clarum
 erit, si observaverimus, quomodo lege dominante
 res hominum habuerint, & quomodo nunc, post-
 quam gratia illuxit. Etenim quæ tunc nemini vi-
 debantur possibilia, ut sunt virginitas, mortis-
 que contemptus, & complures alii adfectus, nunc
 ubique terrarum expeditè præstantur.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Tota Oeconomia Legis Evangelicæ fun-
 datur in principio mediationis Christi: sed hæc ipsa

à divina sapientia abhorrere videtur; nam tota ratio mediationis Christi, prout in Scripturis traditur, continetur triplici munere, quod Christus obiit, *Propheta* nimirum, *Sacerdotis* & *Regis*: hujusmodi autem mediatio prorsus aliena est à divina sapientia. Et quidem *Prophetici* muneris ratio cum Dei dignitate non admodum conciliari potest: nec enim Deo dignum erat, ut corporis imbecillitatem indueret; potuisset sanè Deus longe aliâ & sublimiori ratione hominibus sese manifestare, eosque ad justitiam majori autoritate erudire; homines autem præceptis cœlestibus procul dubio parituri fuissent, quodsi ad ea virtus ac potestas Dei præcipientis manifesta accessisset. Profecto nihil est, quod Infideles quoscunque à Christiana Lege ita absterret, quàm misera Autoris fors. Non minùs à sapientia cæterisque attributis divinis abhorret *Sacerdotalis* muneris ratio. Quis enim capiat, quo pacto divinæ bonitati & justitiæ consentiens sit innocentem pœnis omnibus afficere, ut reis veniam consequatur? an fortè punitio innocentis, & absolutio rei divinam apud homines justitiam commendare possint? Denique *regii* etiam muneris ratio repugnat: quæ enim causa fuerit, cur Deus omnem Christo potestatem tribueret, & ipse quasi dimitteret regni habenas? *Resp.* Ad *1mum*. Humilis illa conditio Christi meliùs erat comparata ad fines omnes adsequendos, quos sibi proposuerat Christus, quàm quævis alia, in qua hominibus ostendere sese potuisset. Quippe venerat ad expianda hominum delicta, ad homines Religionis vitæque sanctioris legibus imbuendos, ad regnum spirituale erigendum firmandumque; oportebat igitur

eum versari potius in humili, quàm in splendidiorē
 vitæ conditione, tum quia major in ista sorte erat
 Christi autoritas, tum ut illûstriora virtutum ex-
 empla dare posset. Et fanè in ista humili sorte
 amplius elucebat Christi divina autoritas, quàm si
 solum apud Judæos occupasset. Quis nescit, di-
 gnitatem hominis, ejusque cum Deo communio-
 nem rectiùs intelligi ex præclaris virtutibus, ex in-
 signi doctrina, ex operibus, quæ præsentem divi-
 nam opem invictè demonstrant, quàm ex tempora-
 li felicitate, quæ hominibus etiam flagitiosissimis
 communis est? apud Judæos quot Prophetæ nascen-
 di sorte haud quaquam conspicui? apud Paganos
 præclarissimi Philosophi nonne obscuro loco nati?
 an horum famæ & laudibus idcirco decessit quid-
 quam? præterea cùm in magna fortuna majora
 quoque sint industriæ & scientiæ adminicula; ma-
 jora quoque, si quis fallere velit, fraudis adjumenta
 sunt; ac proinde multam vim deperderent
 argumenta, quibus ad prædicandam Christi
 doctrinam subinde usi fuerunt Apostoli. De-
 nique an non magis conspicuus fuit Christus, licet
 in stabulo natus, cùm à coelestibus Angelorum
 choris salutatus, per stellam novam nunciatus Gen-
 tibus, quàm si in regio Herodis pallatio editus
 fuisset? prodigiorum ope dum Religio Christiana
 totum Orbem pervasit, an hæc divini originis no-
 ta constitisset, quodsi armis mundum subjugasset?
 Ad 2dum. Vadem se sponte, ac libere dedit Chri-
 stus, qui pleno in vitam suam dominio gaudebat:
 Deus acceptavit: hac viâ Deo præstita est condigna
 satisfactio pro offensis: reparata divina gloria: in-
 numerata bona ipsi Christo acceperunt: perditum
 genus

DE LEGE EVANGELICA. 427

genus humanum fuit reparatum; & quæ hîc indecentia? Ad 3^{tium} Ubi Deus Christum Regem universorum constituit, eique omnem dedit potestatem, ex duplici præsertim capite factum est, videlicet, ut amplissima hujus potestatis concessio esset remuneratoria eorum, quæ Christus pro reparanda Dei gloria gesserat, & passus fuerat; tum etiam ut homines suaviùs allicerentur ad Legis Evangelicæ observantiam, quam à Redemptore ac Mediatore suo latam esse noverant; impii verò Legis prævaricatores justas prævaricationis pœnas sese exsolvere intelligerent. Incredule, quid respondebis Judici tuo, quem Salvatorem impudentissimè contempsisti?

Obj. II. Quæ ista Evangelii perfectio, quod nonnisi abstrusa & humanæ menti impervia obtrudit? claritatem cujusvis sermonis & præcepti dotem esse præcipuam, nemo nescit. *Resp.* Equidem Evangelium partes continet, quas humana mens viribus suis complecti non possit; in cæteris tamen omnibus, quæ ad mores ritè formandos pertinent, adeo clara & perspicua est Christiana Lex, ut vel rudibus etiam maximè adcommodata sit. Illâ ipsâ autem Mysteriorum altitudine (Deum esse unum in una & indivisibili natura, ac trinum in personis; hujus Trinitatis secundam personam, Sponsorem & Mediatorem pro hominibus constitutum, carnem induisse, sustinuisse mortem ad generis humani redemptionem) Christus vel maximè consulit Religionis suæ sanctitati & dignitati. Ea namque est hominum indoles, ut, quæ ratione suâ comprehendunt, non multùm suspiciant; admirantur

rentur verò illa, quæ suis viribus superiora intelligunt. Item hac ratione Christus medelam attulit duobus maximis humanæ naturæ vitiis, superbiam nimirum & curiositati, unde mala omnia in Mundum descenderunt. Præterea opportunam nobis occasionem suppeditavit præstandi homagium subjectionis nostræ præstantissimum, intellectum in obsequium Fidei captivando. Istud hic observa Incredule: Mystera hujusmodi cum extra aciem humanæ mentis posita sint, nec invenire ea Philosophus ratiocinando potuit, nec Fanaticus in ea ullo modo incidere supponi potest; nec enim minus disjuncta sunt à vi imaginatrice, quam à ratione. Eadem tamen aptissimè coherent cum cæteris Christianæ Religionis partibus, adeo ut illis sublatis totum systema corruat, & destruat. Finge tamen paullisper, ea humano studio inveniri potuisse: an communem adeò & constantem latura ad sensum fuissent? profectò nihil adeo hominum animis insitum est, quàm elata de se opinio, nihilque adeo averfantur, quàm quod illum naturalem fastum deprimit; hinc princeps impostorum cura hæc semper fuit, ut hominum genio ac indoli sese accommodarent, moremque gererent eorum opinionibus ac propensionibus, quas cum in diversis diversas esse comperirent, diversa quoque studia impendere illis consueverunt. Solus Christus in Mysteriis captum omnem humanum superantibus leges suas constituit, tam felici successu, ut, quamvis non deessent, qui superbas cervices subicere detrectarent, plures tamen doctrinam Christianam amplecterentur.

Obj.

DE LEGE EVANGELICA. 429

Obj. III. Duræ admodum sunt Novi Fœderis conditiones: nam exigitur ab homine Fides, & quidem earum rerum, quæ contra omnem rationem sunt, veluti hominem crucifixum esse Deum; requiritur perpetua pœnitentia *h. e.* constans sensuum mortificatio, & sui ipsius abnegatio; & quævis transgressio legis supplicio æterno punitur. *Resp.* Ad *1mum.* Fidem esse Christianæ Religionis fundamentum, certum est ex verbis Christi: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Exigi autem Fidem earum rerum, quæ contra rationem sunt, omnino falsum est. Christum crucifixum esse verum Deum tam invictè ostenditur, ut nemo prudenter refragari huic veritati possit. Testantur id Prophetarum Oracula, prodigia confirmant, suadet doctrina à Christo tradita, ejus Religio tam admirabili modo, tantaque celeritate per viros coram mundo despectos propagata, ingens Ss. Martyrum numerus, Judæorum calamitates, Gentium conversio totidem testimonia sunt, quibus Christi Divinitas amplius demonstratur, quàm ut ab homine sanæ mentis in dubium vocari queat. Incredible! si Christus non fuit verus Deus, quem se esse dixit; igitur maximus fuit impostor, quod nec *Sociniani* blasphemare audent. Ad *2dum.* In statu naturæ lapsæ perpetua requiritur pœnitentia, ast eum in finem, ut homo æternâ beatitate in cœlis potiatur: quid autem sunt momentaneæ hujusmodi afflictiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis? Tu quantum affligeris, quantos exhauris labores & difficultates, quibus curis laniaris, ut perfrui rebus perituris liceat? Ad *3tium.*

3^{ti}um. Non quævis, sed voluntaria ac libera legis prævaricatio, eaque gravis aeterno supplicio castigatur, & merito, quia servus sciens voluntatem Domini, & non faciens vapulabit multis. Cum contra servus fidelis super multa constituatur in cælis. Incredule! si duræ videntur tibi Fœderis Novi conditiones ab homine implendæ; cogita, jucundissimas esse conditiones ex parte Dei, quarum prima est *remissio peccatorum* obtinenda tum intra, tum extra Sacramenta. Alterum Novi Fœderis beneficium est *divinæ gratiæ auxilium*. Tertium *resurrectio ad vitam immortalem*. Et quid pacisci melius potuit Mediator Christus pro hominibus?

Obj. IV. Divina *Moyfis* legatio amplius & certius innotuit, quàm Christi; ergo. *Resp.* Turpe hoc est falsumque Judæorum commentum. Nam 1^o. Christus prodigiorum *numero* multum superavit *Moysem*, ut liquet ex testimonio Evangelistarum: & quidem Christus miracula patravit cum potestatis amplitudine, & auctoritate, ac propriâ sua summa virtute patravit. 2^o. Divinam Christi legationem vaticinati sunt Prophetæ omnes. 3^o. Illustrior fuit sanctitas Christi, quàm *Moyfis*: hic enim nâvis suis non caruit; cùm in Christo Scribæ & Pharisæi vigilantissimi infensissimique nihil umquam reperire possent, quod jure reprehenderent.

Obj. V. Non potest intelligi, quomodo Lex Nova per se conferat gratiam & sanctificationem, ut hac ex parte mereatur præferri Legi Veteri. *Resp.* Ad Legem Novam quoque pertinent Sacramenta, & Sacrificium Missæ: illa autem conferunt gratiam sanctificantem cum Jure ad gratias actuales, & qui-
dem

DE LEGE EVANGELICA. 431

dem ex opere, ut ajunt, operato. Istud confert gratias actuales, quibus injusti ad primam justificationem se disponere possunt, justi autem suam augere justitiam. Unde Apostolus I. ad *Cor.* 15. *Notum vobis facio Evangelium, quod prædicavi vobis . . . per quod & salvamini.*

α) Lex Evangelica ita immutabilis est, ut nullus hominum, ac ne ipse Pontifex in ea dispensare possit: vel enim Evangelii præcepta *naturalia* sunt, atque ista nec ab ipso Deo propriè mutari possunt; vel *merè positiva*, & in istis dispensandi potestas nulli hominum à Deo facta est. Neque ullus umquam Pontifex fuit, qui hanc potestatem sibi concessam esse diceret. Equidem verba Christi *Matth.* 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis*, satis ampla & generalia sunt; verumtamen ad mutationem aut dispensationem, quæ potestas prorsus extraordinaria foret, divinæ legis extendi non debent, alioquin fieri autoritate Pontificis posset, ut loco aquæ in Baptismo adhiberetur vinum, ut Missæ sacrificium prorsus tolleretur; quæ & similia in destructionem Ecclesiæ potius cederent, quam in ædificationem. Dum itaque Pontifices dispensarunt in matrimonio rato, vel ut simplex Sacerdos Confirmationis Minister esse posset: dicendum, hujusmodi non esse de Jure divino, vel ad summum de Jure divino esse, ut Episcopus sit Minister *ordinarius*, quin excludatur Sacerdos tamquam Minister *extraordinarius*. Neque in Jure divino dispensavit JULIUS II, dum *Henrico VIII* Angliæ Regi facultatem concessit, ut fratris defuncti uxorem duceret, nec enim Nova, sed Veteri Lege positivâ Judiciali *Lev.* 18. v. 16. prohibitum erat ducere uxorem fratris defuncti cum liberis. *Innocentium VIII* dispensasse cum *Norwegis*, ut propter vini penuriam in altera tantum specie consecrare possent, absque sufficiente facti hujus probatione adseritur à nonnullis. Præcepta de jejuniis quadragesimali, de abstinentia à sanguine & suffocato, de celebranda die dominica, de non ordinandis bigamis, propriè divina non sunt, sed Apostolica & humana.

β) Ne-

β) Neque Lex Evangelica admittit *epiikiam*, quia hæc est emendatio legis; quamvis non fugiat interpretationem *doctrinalem* circa obligationem & sensum verborum legis: cujusmodi etiam concessa fuit V. L. Sacerdotibus, ad quos ire jubebantur Israëlita in dubiis occurrentibus. Hæc tamen interpretatio doctrinalis ut authentica sit, non cuiusvis, sed Ecclesiæ autoritate fieri debet: huic enim Deus legum suarum pignus concredidit. Patet hinc, quam absurda sit hæc *Quesnelli* 71 propositio damnata: *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus propter ipsius utilitatem condidit.*

γ) Lex Evangelica usque ad finem Mundi certissimè duratura est. De præceptis moralibus per se constat, ea abrogari non posse, quia *naturalia* sunt: *Ceremonialia* autem quamvis absolutè mutari possent, nam libere condita sunt à Deo; nihilominus & ipsa semper durabunt, dicente Christo *Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem Seculi.* Deinde *Christus Sacerdotium habet sempiternum*, ad *Hebr. 7. Et Ps. 109. Tu es Sacerdos in æternum.* Igitur sempiternum quoque est Sacrificium, & Sacramenta æterna, per hæc enim efficiuntur Ministri Altaris. Sed & Legi Evangelicæ nulla lex præstantior, aut perfectior succedere potest, ut patet consideranti singula præcepta, sive moralia, sive ceremonialia.

CAPUT IV.

De Lege Humana.

150. Varii errores. Lex Humana generatim definiri potest *rationabile imperium*, seu *jussum in bonum commune publicè autoritate humanà conditum & sufficienter promulgatum.* Hujusmodi lex si bonum spirituale animarum immediatè respicit, dicitur *ecclesiastica*: cum verò ad bonum temporale subditorum ordinatur, *civilis* aut *profana* nuncupatur. Alia est *lex scripta*, sive literis consignata; alia *non scripta*,